

filii dei sepulcrum a Larracenis erigeret, quo tempore
multa in coelo signa visa sunt. Anno MLXXXIX Ind. XII.

Paschalis Tuscus an. XVIII mens. V dies XVIII. Henricus IV fit rex.

Iste monasterium Christi martyris Vincentii, quod venera-
biles abbates Girardus, Benedictus et. . . . renovaverant,
dedicavit; ubi et privilegium insigne tribuit. Urbem
Beneventum cepit et sub iure s. Petri redegit. Qui captus
ab Henrico quarto rege et exspoliatus extra urbem
exulans diebus multis via tandem ad suam sedem
reductus est. Ann. MC Ind. VIII.

Gelasius Caietanus an. . . . Iste ultra montes profectus pro pace
ecclesiae cum regi Teutonico Henrico IV. Obiit apud
Clunium in monasterio s. Petri sepultus in eadem
ecclesia digno honore. Ann. MCXVIII. Ind. XI.

Calixtus Francigena an. V. Iste in eodem monasterio Cluniacensi
electus a Romanis cardinalibus Romam deducitur
et Burdigum subegit. Hic fuit archiepiscopus
Viennensis, qui pacem ecclesiae et omni populo
Romano tribuit cum Henrico rege finem honorifice
fecit. Ann. MCXIX.

Honorius Imolensis an. . . . Iste Lotharium ducem Saxonum
imperatorem fecit. Anno MCXXIV Ind. II.